

1046. VII, 7-23 — Bula do Papa Calisto III, *Etsi cuncti christiano nomine*, para el-rei D. Afonso V, pela qual mandava que em Ceuta se fizesse outros conventos das quatro Ordens Militares, à custa das rendas dos cavaleiros, os quais seriam obrigados, por turnos, a servir em Ceuta durante um ano. Roma, 1455, Fevereiro, 15. — *Pergaminho. Bom estado. Selo pendente de chumbo.*

*Calistus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Etsi cuncti christiano nomine insigniti desiderare debeant ut fides catholica conservetur et per universum orbem dilatetur milites tamen religiose persone tanto avidioribus affectibus ad id obligantur quantum earum religiones et milicie adhoc fuerunt specialius institute.*

*Cum itaque sicut accepimus carissimus in Christo filius noster Alfonsus Portugalie et Algarbii rex illustris pro tuicione civitatis Ceptensis quam inclite memorie Johannes dictorum regnorum rex avus suus quadraginta jam annis elapsis a manibus infidelium sarracenorum liberavit et ad honorem nostre fidei et populi christiani felicissimo triumpho Christo lucrificet sueque dictioni subjecit graves expensas sufferre habeat et cum plurimum formidandum sit ne dicti infideles civitatem ipsam quandoque ut solent invadant et eam ob paucitatem christianorum ibidem existentium in grave dedecus et obprobrium christiane religionis et totius Hispanie periculum cum jam alias fere tota per dictam civitatem ab infidelibus africanis extiterit occupata suo spurcissimo imperio quod Deus advertat subijciant.*

*Nos ad quem pertinet super gregem Domini cum intendere et mentis nostre vigilanciam adhibere ne tantam nephas nostris potissime temporibus eveniat providere volentes motu proprio et ex certa scientia auctoritate apostolica tenore presentium statuimus decernimus et ordinamus quod exnunc inantea perpetuis futuris temporibus in dicta civitate Ceptense sint quatuor conventus quatuor ordinum militarium in prefatis regnis existentium quorum quemlibet magister sive prior uniuscujusque ordinis communibus expensis tocus ordinis fabricare fundare et construere ad cujus edificacionem magister sive prior et omnes preceptores commendatores officiales et beneficiati quicumque nemine excepto pro rata proventuum contribuere; et insuper exnunc pro tuicione dicte civitatis quilibet magister aut prior singulis annis per turnum tertiam partem omnium preceptorum commendatorum officialium beneficiatorum militum religiosorum seu Ordinis Mittere que tertia pars per annum integrum propriis expensis una cum aliis pugnatoribus et habitatoribus custodiant civitatem a qua nemo predictorum militarium excusetur nisi legitimo et gravi impedimento fuerit detentus et tunc*

secundum redditus et proventus quos ab ordine obtinet pro illo tempore vice sua alios bellatores transmittere quodque quilibet magister sive prior singulis annis si (*sic*) personaliter in prefata civitate non steterit aliquos etiam bellatores mittere sub excommunicationis pena qua contrahendo incurrant et a qua per alium quam per romanum pontificem nisi in mortis articulo dumtaxat absolvi non possint ac etiam per subtractionem eorum proventuum accedere et ibidem residenciam facere juxtaque eorum constitutiones regulariter vivere ipsamque civitatem contra eosdem sarraenos et quoscunque alios Christi nominis inimicos defendere custodire et conservare debeant et teneantur mandantes venerabilibus fratribus Bracharensis et Ulixbonensis archiepiscopis ac Ceptensis episcopo quatinus ipsi seu duo aut unus eorum per se vel alium seu alios premissa ubi et quando expedire viderint seu super hoc pro parte dicti Alfonsi regis et aliorum regum Portugalie pro tempore existentium fuerint requisiti solemniter publicantes faciant auctoritate apostolica statutum decretum et ordinationem hujusmodi inviolabiliter observari et illos qui inobedientes forsitan fuerint preceptoris commendis officiis et beneficiis hujusmodi que obtinent et pro tempore obtinebunt necnon crucis signo et habitu religionis qua professi extiterunt privent et ammoneant realiter ab eisdem necnon de ipsis preceptoris et beneficiis per hujusmodi privacionem et amocionem tunc vacantibus aliis dictam miliciam professis vel illam profiteri ac in dicta civitate personaliter ut premittitur commorari volentibus seu se offerentibus provideant ipsosque profiteri volentes ad eandem professionem recipiant et habitum religionis seu milicie hujusmodi quam profiteri voluerint eis exhibeant faciantque illos sincera ibidem caritate tractari ac de omnibus fructibus redditibus et proventibus sicut aliis professis responderi omniaque alia et singula tam circa impedimenta dictorum preceptorum et religiosorum et mittendos bellatores ad eisdem seu a magistris et priore quam circa eorum modum in dictis conventibus vivendi et ibidem existentibus de beneficiis providendi defensionerem (*sic*) et conservacionem dicte civitatis ac alias in premissis necessaria et oportuna ordinant statuam disponant faciant et exequantur.

*Contradictores* quoscunque et rebelles cujuscunque dignitatis gradus ordinis preeminencie vel conditionis fuerint per censuram ecclesiasticam ac subtractionem proventuum hujusmodi aliaque juris remedia appellatione postposita compescendo invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis super quibus omnibus et singulis plenam et liberam archiepiscopis et episcopo predictis ac eorum cuilibet tenore presentium concedimus facultatem non obstantibus felices recordationis Bonifacii Pape octavi predecessoris nostri que incipit statutum quod circa iudices ac de duabus dictis in Concilio Generali ac aliis apostolicis constitutionibus necnon statutis privilegiis consuetudinibus usibus et natura ordinum et miliciarum hujusmodi juramento confirmacione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscunque aut si magistris priori et fratribus dictarum militiarum vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica

sede sit indultum quod interdicti suspendi vel excommunicari aut ultra vel extra certa loca ad iudicium trahi seu ad alia loca transferri non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mencionem et quibuscumque aliis privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus presencium ac ipsorum archiepiscoporum et episcopi jurisdictio in aliquo impediri valeat quomodolibet vel differri et quoquo ad premissa eis nolumus aliquatenus suffragari etiamsi de illis ac eorum totis tenoribus specialis et expressa mencio presentibus habenda foret.

*Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti decreti ordinationis mandati et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignacionem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnacionis Dominice millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto quinto decimo Kalendas Marcii. Pontificatus nostri anno primo.

1047. VII, 7-24 — Informação das igrejas e mosteiros que tinham vagado na comarca da Beira, e que estavam encomendadas desde o ano de 1521 até 1525, dada por ordem de el-rei D. João III, de 14 de Julho de 1525. — *Papel. 6 folhas. Bom estado.*

1048. VII, 7-25 — Instrumento (*dois traslados do*) de continuação da posse e união do convento de Tomar e mestrado de Cristo à coroa real. Tomar, 1559, Agosto, 22. — *Papel. 2½ folhas. Bom estado. Cópia junta.*

1049. VII, 7-26 — Instrumento de intimação que contém a bula do Papa Leão X, *Redemptor noster Dominus Iesus Christus*, inserta num executorial, passado em nome do núncio António Puccio, pela qual concedera a el-rei D. Manuel que pudesse tirar dos mosteiros e igrejas paroquiais de Portugal, que ele escolhesse, vinte mil cruzados de renda para criar novas comendas da Ordem de Cristo. Pelo executorial o núncio separou e desanexou de certos mosteiros certas porções e applicou-as a comendas. Roma, 1514, Abril, 29. Lisboa, 1515, Abril, 16. — *Papel. 1¼ folhas. Bom estado.*

1050. VII, 7-27 — Certidão com o teor duma carta de privilégios dada por el-rei D. Sebastião, confirmando dois alvarás de D. João III ao convento de Tomar e a outros da Ordem de Cristo. A carta é de 1578, Janeiro, 23. Tomar, 1752, Novembro, 24. — *Papel. 16 folhas. Bom estado.*

1051. VII, 7-28 — Ordenação (*traslado da*) de el-rei D. Sebastião, pela qual mandou estabelecer e ordenar a forma pela qual se devia processar as causas crimes e civis e mais dependências dos comendadores, cavaleiros e freires da Ordem de Avis, confirmada pela bula do Papa Pio IV que está junta (1563, Fevereiro, 6). Lisboa, 1563, Junho, 2. — *Papel. 8 folhas. Bom estado.*

1052. VII, 8-1 — Bula (*traslado da*) do Papa João XXII, *Ad ea ex quibus cultus*, pela qual instituiu e erigiu a Ordem de Cavalaria de Nosso Senhor Jesus Cristo, indicando para sua residência a vila de Castro Marim, e lhe uniu, applicou e apropriou todos os rendimentos, jurisdições, posses, regalias e privilégios que possuía em Portugal a Ordem dos Templários, extinta por Clemente V; nomeava para grão-mestre dela Egídio Martins e sujeitava-a à correção e visitação dos abades de Alcobaça. Avinhão, 1319, Março, 4. — *Papel. 8 folhas. Bom estado.*

1053. VII, 8-2 — Breve (*traslado do*) a respeito das quarenta igrejas do padroado real não pagarem anatas. Roma, 1535. — *Papel. 2 folhas.*

1054. VII, 8-3 — Bula do Papa Leão X, *Redemptor Noster Dominus Iesus Christus*, pela qual concedera licença a el-rei D. Manuel para separar dos mosteiros, priorados e igrejas paroquiais de Portugal, vinte mil cruzados de renda anual, para com eles fazer novas comendas da Ordem de Cristo, e dava ainda poder ao bispo de Ceuta e Ministro da Trindade para meterem de posse aos nomeados para as ditas comendas. Roma, 1514, Abril, 29. — *Pergaminho. Bom estado. Selo pendente de chumbo. Tem junto uma cópia do século XVI (Papel. 6 folhas. Bom estado), que esteve na mesma colecção na Gav. VII, 7-7. Segue-se ainda uma cópia desta.*

*Leo episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

*Redemptor noster Dominus Iesus Christus in excelsis tenens imperium romanum pontificem in terris super universum gregem Dominicum vicarium suum constituit qui militanti ecclesie sibi ineffabili commertio copulate preesset illamque non solum ab omnibus adversis protegere sed orthodoxe fidei propagationem sue cure commissam ac christiane religionis augmentum animarum salutem barbarice nationis et infidelium quorumlibet depressionem et ad fidem ipsam conversionem totis viribus perquirere studuerit unde nos qui ab eodem redemptore quamvis imparibus meritis vocati vicarii hujusmodi officio fungimur de cunctorum salute solliciti et in palmitibus fidei catholice dilatandis accensi caritatis ardore solerter in vigilantes dum catholici reges quos tanquam peculiares nostros et romane ecclesie filios speciali dilectione complectimur vias et modos diligenter exquirant quibus hostium ipsius fidei conatibus contra christianos resistere et ab infidelibus eisdem loca per eos recuperata tueri aliaque eorum ditioni subicere et subjectione hujusmodi mediante infideles ipsos commodius ad cognitionem veri Dei abdicatis cecitatis erroribus divina cooperante clementia inducere. Sicque non solum illorum animas lucrificare creatori sed etiam christifideles eorundem regum subditos qui loca terra marique infidelibus ipsis proxima incolunt ab eorum infidelium crebris incursionibus rapinis et noxiis liberare valeant congrua addit auxilia nostreque solitudinis partes ad tam sanctum tam perutilissimum tamque immortalis Deo cujus causa agitur acceptum opus libenter impedimus aliaque statuimus facimus et ordinamus prout rerum temporum et locorum qualitate pensata id conspicimus in Domino salubriter expedire.*

*Sane accepimus quod charissimus in Christo filius noster Emanuel*

Portugallie et Algarbiorum rex illustris ac militie Jesu Christi perpetuus aministrator per sedem apostolicam deputatus provide attendens quanta in catholice fidei et reipublice christianorum injuriam truculenta infidelium sarracenorum rabies attemptare presumpserit quantave eis damna intulerit et nisi insano eorum furore occurreretur esset verisimiliter allatura quodque parum esset quam plurima insulas provintias civitates terras et loca a subjectione dictorum infidelium in partibus Africe Guinee Arabie Persie atque Indie per regem prefatum et ejus predecessores recuperata fuisse nisi illorum conservationi ac propagationi nominis christiane religionis provideretur devotionis fidei et religionis prefatarum zello accensus numerum militum dicte milicie cujus caput est monasterium sive conventus opidi de Thomar nullius diocesis in quo divinus cultus summa cum diligentia observatur et cui plurima oppida et loca subjecta existunt augeri eisdemque militibus de alicujus subventionis auxilio opportune provideri cupit ut bellum terra marique in ipsius Aphrice Portugallie regno proximis et aliis infidelium hujusmodi locis geri certiorique victoria frui possit.

*Etsi tot preceptorie prefate militie erigerentur quot milites augerentur et preceptoris hujusmodi sic erectis certa bona ac jura omnium et singulorum monasteriorum et prioratuum tam consistorialium quam non consistorialium et tam eorum quorum fructus in libris camere apostolice taxati reperiuntur quam aliorum quorum fructus hujusmodi in libris camere hujusmodi taxati non reperiuntur tam Sancti Benedicti quam Cisterciensis Sancti Bernardi nuncupati et Sancti Augustini et quorumcunque aliorum ordinum in Bracharensis Ulixbonensis Portugallensis Visensis Septensis Lamecensis Colimbriensis Elborensis Egitaniensis et Silvensis civitatibus ac diocesibus consistentium etiamsi alias monasteria et prioratus hujusmodi suppressa et extincta et in prioratus aut parochiales ecclesias respective erecta fuissent quorum fructus redditus proventus obventiones et emolumenta ad valorem annum viginti millium ducatorum auri de camera ascenderent relictis duntaxat monasteriis quorum provisiones et alie dispositiones per consistorium expediri consueverunt tot ex eorum bonis et juribus quorum fructus redditus proventus obventiones et emolumenta hujusmodi ascendant ad valorem quem importat taxa illorum in libris camere apostolice notata secundum solitam multiplicationem ad duas alias partes. Aliis vero quorum expeditiones et provisiones per consistorium fieri non consueverunt et fructus redditus et proventus hujusmodi in eisdem libris taxati reperiuntur relictis tot ex eorum bonis et juribus quorum fructus redditus proventus obventiones et emolumenta ad valorem dicte taxe in libris ipsis annotata duntaxat sine illius multiplicatione.*

*Reliquis vero monasteriis quorum fructus redditus et proventus prefati in ipsis libris taxati non existunt relictis tot ex eorum bonis ac juribus quorum fructus redditus proventus obventiones et emolumenta ad abbatum priorum et monachorum in monasteriis ipsis degere debentium*

sustentationem sufficiant. *Etsi* bona fructus redditus proventus obventiones et emolumenta monasteriorum et prioratuum hujusmodi cum dicta modificatione ad valorem annuum viginti millium ducatorum non ascenderent pro eo quod deesset a parrochialibus ecclesiis civitatum et diocesum predictarum per ipsum Emanuelem regem exprimendis et declarandis usque ad supplementum dictorum viginti millium ducatorum etiam congrua portione saltem sexaginta ducatorum auri de camera pro singulis singularum parrochialium ecclesiarum hujusmodi rectoribus relicta a monasteriis prioratibus et parrochialibus ecclesiis hujusmodi separarentur et dimembrarentur ac preceptorii hujusmodi erigendis pro earum dotibus applicarentur et appropriarentur ac dicto Emanueli et pro tempore existenti regi Portugallie jus et facultas nominandi milites augendos qui contra infideles militaverint et post nominationem de eis per regem hujusmodi faciendam ad tempus per ipsum regem statuendum in partibus dicte Aphrice aut alibi contra ipsos infideles in mari aut terra militare teneantur vel alias ipsi regi benemeriti visi fuerint ad preceptorias prefatas tam prima vice ab earum erectione quam alias quomodolibet in futurum vacantes. *Ita* quod nominatio hujusmodi vim valide et efficacis provisionis habeat concederetur et alias pro premissorum observatione et utilitate opportune consuleretur id profecto ad Dei laudem et gloriam orthodoxeque fidei exaltationem christianorumque indemnitate et commodum cederet.

Nos attendentes quod prefatus Emanuel rex contra infideles prefatos et dicte fidei inimicos a multis annis citra continuum propugnaculum extitit ac dicte militie milites et plurimi regni prefati incole dicto regi subjecti ut Christi athlete personas proprias magnis periculis exposuerunt pluresque insulas civitates terras et loca ut prefertur ab infidelibus ipsis alias occupata christiane ditioni subjecerunt cupientes prefatum Emanuelem regem cui etiam hodie ob assidua bella que contra perfidos fidei nostre hostes forti ac constanti animo gerebat pro tuitione munitione et custodia oppidorum et locorum que christiane reipublice sua virtute et industria adjecerat et in futurum non minore fidei ardore divina favente clementia totis conatibus adicere intendebat pro continuatione tam Sancti ac Deo accepti belli ac successoribus suis ut de quibuscumque metropolitani cathedralibus et aliis ecclesiis ac monasteriis ceterisque beneficiis ecclesiasticis in regnis provinciis insulis et locis sibi subjectis et que in posterum sibi subjicerentur consistentibus partes decimarum tertias nuncupatas ad instar regum Castelle et Legionis regnorum levandas et percipiendas donec bellum in Aphrica contra Fecensium et Marroquitarum infideles reges actualiter et bona fide ac sine fraude gereret et dicto dumtaxat sic durante bello et non ultra exigere levare et percipere valeret in omnibus et per omnia pro ut prefati Castelle et Legionis reges ex concessione apostolica percipiebant et percipere consueverant auctoritate apostolica per alias nostras litteras concessimus et indulgimus prout in illis plenius continetur in ipsius Emanuelis regis sancto et pio voto hujusmodi que communi bono omnibus remediis opportunis confovere motu

proprio et ex certa nostra scientia ac de apostolice potestatis plenitudine tot preceptorias dicte militie quot infra terminum unius anni a datis presentium computandi et sub invocationibus que eidem Emanueli regi videbuntur exnunc prout extunc et e contra in monasterio conventu seu militia prefatis perpetuo erigimus ac tot bona et jura monasteriorum et prioratuum hujusmodi quorum fructus redditus proventus census obventiones et emolumenta ad sumam et valorem annum viginti millium ducatorum similium ascendant ita tamen quod monasteriis hujusmodi etiamsi per priores gubernari consueverunt quorum provisiones et expeditiones prefate per dictum consistorium fieri solite sunt tot bona et jura quorum fructus redditus et proventus ac obventiones et emolumenta prefata ascendunt ad valorem quem importat eorum taxa in libris predictis annotata secundum prefatam multiplicationem aliis vero quorum expeditiones et provisiones per dictum consistorium fieri non consueverunt et fructus redditus et proventus in dictis libris taxati reperiuntur ad valorem dicte taxe in libris ipsis annotate duntaxat sine aliqua multiplicatione reliquis vero monasteriis quorum fructus redditus et proventus in dictis libris taxati non sunt ad illorum abbatum priorum et monachorum in monasteriis et prioratibus ipsis non taxatis degere debentium convenientem sustentationem remaneant ab eisdem monasteriis et prioratibus si ad ipsam summam viginti millium ducatorum hujusmodi ascendant. *Alioquin* pro eo quod ex dicta summa defuerit a dictis ex monasteriis seu prioratibus erectis ac aliis parochialibus ecclesiis per ipsum Emanuele regem exprimendis et declarandis usque ad summam dictorum viginti millium ducatorum etiam pro singulis earum rectoribus saltem portione sexaginta ducatorum hujusmodi reservata dumtamen in totum summam dictorum viginti millium ducatorum non excedant perpetuo dimembramus et separamus illaque sic separata et dimembrata preceptoris prefatis erectis proportionabiliter et pro earum dotibus perpetuo applicamus et appropriamus ac dicto Emanueli et pro tempore existenti regi singulos milites qui contra infideles militaverint et post nominationem hujusmodi per tempus per ipsos reges statuendum contra infideles militabunt vel alias benemeriti fuerint ad singulas preceptorias nominandi facultatem concedimus necnon erectiones dimembrationes separationes appropriationes ac jus et facultatem nominationes per Emanuele et alios reges prefatos faciendi exnunc prout extunc non ficte sed vere suum verum plenarium omnimodum et totalem effectum sortitas esse dictasque nominationes vim validarum perfectarum et efficacium apostolicarum provisionum habere itaque liceat ipsis militibus ad preceptorias sic erectas per regem prefatum nominatis cedentibus vel decedentibus modernis monasteriorum abbatibus ac prioratuum prioribus ac parochialium ecclesiarum a quibus bona dimembravimus et separavimus et preceptoris hujusmodi applicavimus rectoribus modernis seu monasteria prioratus et ecclesias hujusmodi quomodolibet dimittentibus et illis quibusvis modis etiam apud sedem apostolicam vacantibus bonorum dimembratorum et

applicatorum et pro dotibus assignatorum hujusmodi corporalem realem et actualem possessionem per se vel alium seu alios propria autoritate de novo apprehendere illorumque fructus redditus et proventus in suos et preceptoriarum hujusmodi usus et utilitatem convertere ordinariorum locorum et quorumvis aliorum licentia super hoc minime requisita ipsasque preceptorias tam hac prima vice ab earum primeva erectione hujusmodi quam pro tempore vacantes per quoscumque etiam a sede predicta sine consensu Emanuelis et pro tempore existentis regis hujusmodi impetrari non posse et omnes impetrationes et concessionem de illis etiam a sede prefata aliter factas nullas irritas invalidas et inanes nulliusque roboris vel momenti fore.

*Necnon* applicationes et appropriationes predictas tanquam realiter effectum sortitas in quibusvis generalibus vel specialibus revocationibus aut suspensionibus unionum annexionum et incorporationum appropriationum applicationum regularium constitutionum voluntatum decretorum et quarumvis dispositionum per nos seu sedem prefatam editarum seu edendarum etiam si de eis de verbo ad verbum specialis specifica et expressa mentio fieret nullatenus comprehendere sicque nostre incommutabilis intentionis fuisse et esse et per quoscumque iudices ordinarios delegatos et subdelegatos etiam Sancte Romane ecclesie cardinales et causarum palatii apostolici auditores in Romana Curia et extra eam in quavis instantia sententiari iudicari decidi et interpretari debere sublata eis et eorum cuilibet quavis alia sententiandi decidendi iudicandi et interpretandi facultate ac irritum et inane quidquid secus super hiis a quoquam quavis autoritate scienter vel ignoranter contingerit attemptari decernimus et declaramus.

*Quo* circa venerabili fratri nostro episcopo Septensi et dilecto filio ministro domus Sancte Trinitatis Ulisbonensis modernis et pro tempore existentibus super quo eorum concientiam oneramus per apostolica scripta mandamus quatinus ipsi vel eorum alter per se vel alium seu alios bona fructus redditus et proventus ac census obventiones et emolumenta a dictis monasteriis prioratibus et parrochialibus ecclesiis separata et dimembrata pro dotibus hujusmodi salvis modificationibus et reservationibus prefatis designent nominent et assignent ipsumque regem et milites nominatos ad preceptorias hujusmodi in earum ac bonorum predicatorum possessionem auctoritate nostra inducant et inductos defendant amotis ab eis cedentibus vel decedentibus modernis abbatibus prioribus et rectoribus prefatis seu monasteria prioratus et parrochiales ecclesias hujusmodi alias quomodolibet dimittentibus aut illis alias quovismodo etiam apud dictam sedem vacantibus quibuslibet illicitis detentoribus faciantque de ipsorum bonorum pro dotibus applicatorum hujusmodi fructibus redditibus proventibus juribus et obventionibus universis integre responderi contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis

statutis quoque et consuetudinibus monasteriorum et prioratum predic-  
torum et a quibus forsan dependent et ordinum quorum existant etiam  
juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis  
privilegiis quoque et indultis ac litteris apostolicis illis concessis confir-  
matis et innovatis illis presertim quibus inter alia caveri dicitur expresse  
quod de fructibus et bonis ac juribus monasteriorum dictorum ordinum  
per quascumque litteras et dispositiones per romanum pontificem pro  
tempore existentem seu sedem predictam etiam similibus scientia et  
potestate aut cum motu proprii et ex certa scientia ac quibusvis aliis  
efficacissimis et insolitis clausulis etiam derogatarum derogatoriis  
etiam privilegiis indultis statutis ordinationibus et titulis ipsis expresse  
derogantibus etiam consideratione imperatoris regum reginarum ducum  
aut aliorum principum quorumcumque et ad aliorum supplicationem et  
instantiam ac de apostolice potestatis plenitudine concessis disponi seu  
fructus bona et jura hujusmodi a monasteriis et prioratibus predictis  
separari et aliis beneficiis etiam preceptorii hujusmodi pro dotibus seu  
alias applicari non possint quodque litteris dispositionum separationum  
et applicationum de fructibus bonis et juribus predictis pro tempore  
factarum etiam cum derogationibus hujusmodi etiam quascumque sen-  
tentias censuras et penas in se continentibus parere non teneantur  
possintque abbates et priores ac conventus monasteriorum et prioratum  
eorundem dispositionibus separationibus et applicationibus hujusmodi  
non obstantibus de omnibus fructibus bonis ac juribus separatis et appli-  
catis ut prefertur libere disponere ac alias juxta regularia instituta dicto-  
rum ordinum et laudabiles consuetudines et privilegia eis quomodolibet  
concessa illis uti possent quodque privilegiis indultis statutis ordinatio-  
nibus et litteris ipsis per quascumque litteras apostolicas etiam similibus  
consilio motu et scientia ac potestatis plenitudine et auctoritate predictis  
pro tempore concessis quascumque clausulas etiam derogatarum dero-  
gatorias et insolitas in se continentes derogari non possit etsi contingat  
derogari hujusmodi derogatio per ternas litteras romani pontificis pro  
tempore existentis abbatibus prioribus conventibus monasteriorum et  
prioratum ac capitulis generalibus ordinum hujusmodi diversis vicibus  
presentatas prius intimari debeat alias nullius sint roboris vel momenti  
et sic judicari debeat. *Quibus* etiam si ad illorum derogationem de eis  
eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua ac de  
verbo ad verbum non autem per clausulas generales id importantes mentio  
seu quevis alia expressio habenda aut quevis alia exquisita forma servanda  
esset illorum tenores presentibus pro sufficienter expressis et insertis  
habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice duntaxat harum  
serie specialiter et expresse motu simili derogamus ceterisque contrariis  
quibuscumque.

*Volumus* autem quod exnunc prefatus Emanuel rex post bonorum  
pro dote preceptoriarum erectarum actualem per episcopum seu ministrum  
assignationem faciendam hujusmodi bonorum ipsorum assignatorum pos-

sessionem sine perjudicio actualis preceptionis fructuum modernorum possessorum per quorum cessum vel decessum aut quamvis aliam vacationem monasteria prioratus et parrochiales ecclesias hujusmodi quorum bona dimembrata et pro dote preceptoriarum erectarum hujusmodi assignata fuerint vacare debent libere apprehendere illamque vere et non fecte habere censeatur ac si illam jam per cessum vel decessum modernorum possessorum hujusmodi vere vacassent ipseque Emanuel rex illorum realem et actuaalem possessionem cum vera et actuali fructuum perceptione apprehendisset ac possessoribus modernis prefatis cedentibus vel decedentibus aut monasteria prioratus et parrochiales ecclesias hujusmodi alias quomodolibet dimittentibus aut illis alias quovismodo vacantibus etiam apud sedem predictam liceat eidem Emanueli regi seu etiam per eum ad preceptorias sic erectas nominatis etiam extunc de novo actuaalem et corporalem possessionem bonorum a monasteriis prioratibus et parrochialibus ecclesiis hujusmodi dimembratorum et preceptoris erectis pro illarum dotibus applicatorum et assignatorum hujusmodi etiam propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere quodque milites per Emanuele et pro tempore existentem regem prefatos ad preceptorias hujusmodi nominati infra octo menses post nominationem hujusmodi et ipsarum preceptoriarum possessionem adeptam novam provisionem a sede apostolica impetrare ac litteras apostolicas expedire necnon omnia jura eidem camere apostolice persolvere teneantur. *Alioquin* nominationes sic facte et possessiones etiam per eos apprehense ac quecumque inde secuta nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti sint et esse ipseque preceptorie vacare censeantur eo ipso et ab aliis militibus ejusdem militie modo predicto qualificatis et non aliis a sede predicta eo casu dumtaxat libere impetrari et concedi valeant.

*Nulli* ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre erectionis dimembrationis separationis applicationis appropriationis concessionis decreti declarationis onerationis mandati derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

*Siquis* autem hoc attemptare presumpserit indignationis Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus ne noverit incursum.

*Datum* Rome apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quarto decimo tertio Kalendas Maii. Pontificatus nostri anno secundo.

(A. E.)